

Martinengio , qui subsidia Tamassum importabat , in itinere extincto , Baleonius de primo in eam Turcarum impetu , rumoribus in dies percrebrescentibus , permotus , cum minime inde discedendum censeret , Dandulus Rochasium Baleonii loco Leucosiae copiis eadem cum auctoritate præfecit ; Leptitano Comiti tormentorum , Joanni Singlitico equitum Cyprorum , Joanni Sozomeno fossorum , Scipioni Caraffæ , ac Petro Paulo Singlitico agrestium præfecturam attribuit ; Leonardo vero Ronconio imperium Italorum militum detulit ; quorum sane virtuti cum in primis Cypri tuendæ spes niteretur , inopportune acciderat , ut , plerisque vario morborum genere conflictatis , aliis extinctis , impar ad belli impetum sustinendum eorum numerus haberetur . Cui malo domestica incolarum militia in supplementum adhibita occurrere Dandulus statuit . In Tamasso idem militum defectus ; nam ex duobus , qui cum Martinengio consenderant , millibus , mille ac trecenti tantum incolumes pervenerant , quorum major fere pars labore , ærumnisque itineris confecta , tractandis armis parum idonea censebatur ; duo millia septingenti ac triginta externi tantum milites adnumerabantur ; iis Bragadenus ex ordinibus mille ac quingentos addiderat .

Mustaphas , qui Phœniciam , ut copias in Cyprum asportaret , appulerat , cum per exploratores adhuc Corcyrae detiniri Venetorum classem cognovisset , Pialim ad exercitum e Cilicia in Cyprum traducendum misit . Kalendis vero julii e Papho primum Turcica classis inspecta inter Curium promontorium , ac Limissum in anchoris stetit . Emissi , qui circumje-
ctam regionem popularentur , Divi Nicolai coenobium , tres propinquos pagos , ac Limissum ipsum diripiunt . Quinquaginta Epirotæ equites , Turcarum confertæ multitudini impares , in penitiora loca leviori pugna certantes se se recipiunt . Inter ea Petrus Rondacius , Epirotarum dux , qui a Papho prætervectam classem Turcicam legendō litus insequutus fuerat , cum centum equitibus supervenit , sibique quinquaginta , de quibus diximus , conjunctis , in hostem impetum facit , plerisque cœdit , tribus captis , reliquos se recipere compellit . Hostes ad classem reversi , noctu ad Salinas iter dirigunt , ac quinto nonas julii litus tenent ; equites centum , peditumque

Turcica
classe in
Cyprum ap-
pellit .

Turcæ ad
Salinas in
Cyprum ex-
scendunt .